



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. XXI. Ad Tit. XXII. de Clericis peregrinis. Additur in compilatione prima
ad rubricam: Et eis sine literis non recipiendis, quae verba omisit
Raymundus. Ad capit. I. & III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

Capitulum IV. est Innocentii III. ad Ratisponensem Episcopum, ut est apud Raimundum. Variat tamen lectio. In tertiâ compilatione legitur Wtilamensi, Wtilamensi. Duo MSCra Salana optimæ notæ: Ratislaviensi. Unde non dubito rescribere: Vratislaviensi. Quam vocem supra quoque capitulo 27. de Rescriptis restituimus. Ecloga II. cap. 18. pag. 45. Summa autem capituli est, eum, qui mortuâ uxore ad sacra promotus cum secundâ de facto contraxit, eamque cognovit, digamiæ pœnam incurere, licet digamus non sit. Digamus propriè non est, quia secundæ nuptiæ jure canonico sunt irritæ, & de facto tantum tenent, *c. sanè. de etate & qual.* Ideo licet talis intentionem & animum habeat secundum matrimonium contrahendi, vel, ut Pontifex loquitur, affectum intentionis cum opere subsequuto habeat, in matrimonio vivendi, propriè tamen digamus non est, sed digamiæ tamen pœnam incurrit. Bigamus, inquam, non est, non propter sacramenti defectum, id est, non propterea, quod matrimonium consistere non possit in eo, qui unam habuit uxorem, & post susceptionem ordinis sacri aliam duxit: Neque enim pluralitas uxorum hîc est: Sed quia contra votum prius affectat inire aliud matrimonium, ideo ratione affectus illiciti pro digamo habetur. Capitulum VI. apud Raimundum inscribitur Lugdunensi Archiepiscopo: Sed in compilatione IV. habetur, D. Archidiacono Lundunensi: Sic & duo MSti Salani, Archidiacono: Unus autem optimus, Lundoniensi.

CAP. XXI.

Ad Tit. XXII. de Clericis peregrinis.

Additur in compilatione primâ ad rubricam:

*Et eis sine literis non recipiendis, quæ
verba omisit Raymundus.*

Ad capit. I. & III.

S U M M A R I A.

1. Rubrica integratur.

2. Capit. I. non est Alexandri IV.

3. Ejus

- | | |
|---|--|
| 3. <i>Ejus summa.</i> | 11. <i>Probatum per hos intelligi honoratiores.</i> |
| 4. <i>Epistola ecclesiastica.</i> | 12. <i>Ratio cur systatica non nisi honoratioribus data.</i> |
| 5. <i>Origo epistolarum ecclesiasticarum.</i> | 13. <i>Litera dimissoria.</i> |
| 6. <i>Species & nomina varia epistolarum.</i> | 14. <i>συνθήματα γραμμάτων.</i> |
| 7. <i>Dua Canoniarum species, εἰρηνηκῆ καὶ συστατικῆ.</i> | 15. <i>τυποματῆς, Formatae.</i> |
| 8. <i>Systatica cui dabantur.</i> | 16. <i>Origo Formatarum.</i> |
| 9. <i>Ἐπιτομή.</i> | 17. <i>Blondellus non nisi tredecim Formatas reperit.</i> |
| 10. <i>Ὁ ἐν Ἐπιτομῇ, an suspecti?</i> | |

Est Alexandri III, etsi exemplaria quaedam quartum citent: *Rubrica in-*
Sed perperam, cum, ut notant Gregoriani, tempore com-
tegratur.
 pilationis Raymundanae nondum erat Alexander aliquis *Capit. I. non*
 quartus. Peregrinos ad ordines non admittendos, quos *est Alex. IV.*
 Ζέξος vocat *can. 32. Apostolorum*, nempe qui sunt ex aliena diocesi, *Ejus sum-*
 habetur *can. Illud quoque, 1. & can. primatus. 6. dist. LXXI.* nisi habeat *ma.*
 literas dimissorias a suo Episcopo. Hoc amplius Transmarini,
 id est, Afri debebant non solum instructi esse literis, non quae u-
 nius: Sed quinque Episcoporum sigillis essent munitae. *cap.*
1. b. t.

De Epistolis hisce ecclesiasticis multa habentur passim: Nos *Epistola Be-*
 pro instituti ratione quantum sufficere visum. Origo Epistolar. *clesiastica.*
 Ecclesiasticarum videtur antiquissima, & ab Apostolis inde rece- *Origo Epi-*
 pta, ad eum finem, ut & christiana religio latius propagaretur, & *stolarum*
 ne sub specie communionis cum fidelibus infideles & haeretici in *Eccl.*
 Ecclesiam irreperant, & ὑποτύπωσιν τῶν ὑγκαινάντων λόγων cor-
 rumperent. Fuerunt autem harum Epistolarum nomina varia. *Species &*
 cum in Ecclesia Graeca, tum Latina. Scribebant enim Patres fre- *nomina va-*
 quentissimas literas & vel singuli vel plures unam, pariterque modo *ria Epistol.*
 ad singulos seorsum, modo ad plures conjunctim. Quot fuerint
 harum genera, non adeo liquet. Variarum enim occurrunt appella-
 tiones, quae tamen diversarum specierum esse non videntur.

Duarum meminit canon undecimus synodi Chalcedonensis: *Dua Canon.*

Πάντας τὰς πενήτας καὶ δεοῦντας ἑπικερίας μὲν δοκιμασίας ἑπιστο-
 λείας ἢ εἰρηνικῶν ἢ συστατικῶν ἐκκλησιαστικῶν μόνους ὀδεύειν, ὡς οὐ μὲν, ἢ
 μὴ συστατικοῖς, ἀλλὰ τὸ πᾶσι συστατικαῖς ἑπιστολαῖς προσήκειν τοῖς ἔσιν ἐν
 ὑπολήψει μόνους προσώποις παρέχεσθαι, i. e. omnes pauperes & qui
 auxilio indigent cum examinatione, viam statuimus ingredi cum epi-
 stolis seu pacificis ecclesiasticis, & non cum commendatitiis. Quia li-
 teras commendatitias iis solis personis quæ sunt suspectæ (quæ sunt in
 existimatione) præberi oportet.

*Systaticæ
 cui daban-
 tur. ὑπόλη-
 ψις.
 ἐν ὑπόλη-
 ψει, an su-
 specti?
 Probatur
 per hos in-
 telligi ho-
 noratiorēs.*

Cum dicit canon, pauperibus
 commendatitias non dari, sed solum pacificas, quia commenda-
 titiæ non nisi τοῖς ἐν ὑπόληψει ἔσιν præbeantur, inde quidem con-
 stat, differre commendatitias inter se & pacificas, constat & hoc
 pauperibus solis & indigentibus pacificas dari: Sed cui dandæ ve-
 niant συστατικῶν, non liquet, ob ambiguitatem vocis, ὑπόληψις,
 quâ usus est canon iste, tam reprehensionem, quàm opinionem &
 existimationem significante. Zonaras, Balsamo, Blastares, τὰς ἐν
 ὑπόληψει accipiunt, personas suspectas. Sed verius videtur, in-
 telligendos esse, qui in aliquâ existimatione existant, ut Gabriel
 Albaspinæus in observationibus sentit.

Frequentior enim hæc est significatio, Justinianus Nov. 123. c.
 24. ὅν πάντες οἱ μοναχοὶ, οἱ καλλιῶν ὑπόληψεως ἐπιλέξονται. Ac-
 cedit Cujacius, græcè doctissimus, qui in cap. 5. x. de Cler. non resid.
 hæc verba, τοῖς ἔσιν ἐν ὑπόληψει ita reddit: *Qui sunt in reputatione.*
 Sed & Rhegino Prumiensis ita reddit, nempe honoratioribus. Et
 facit huc quod in testium qualitate idem Justinianus requirit, ut
 sint ἐν ὑπόληψει, bonæ existimationis. Porro facit & ratio, quam
 urget Albaspinæus. Si enim οἱ ἐν ὑπόληψει notant suspectos,
 quæ est ratio propter quam solis pauperibus denegantur commen-
 datitiæ. An non & hi suspecti fieri possint, sive jure sive injuriâ?
 Cur igitur his omni potius misericordiâ dignissimis denegantur
 commendatitiæ, quæ ex mente dissentientium omnibus suspectis
 erant præbendæ. Quin quia constat, dari commendatitias pluri-
 bus, quam τοῖς ἐν ὑπόληψει, ut separatis communionē, ignotis, reis
 postulatis, malè determinasset canon hos, quibus dandæ systaticæ,
 si solis suspectis debebantur. Qua re concludam verbis Albaspi-
 næi; prout exhibet ea Dn. Meyerus, Theologus Helmstadiensis ce-
 leber.

leberrimus: Possumus, inquit, hunc canonem enodare, si dixerimus, consentaneum non fuisse proletario cuilibet, egeno nimirum & accisis opibus aut sententiam passo, in exilium, vel ad metalla aut Casarem appellante commendatitias indulgere: Nam si Ecclesia promiscuè & indifferenter quarumcumq; personarum tutelam suscepisset, hæc passivitas Ecclesiæ dignitatem apud Principes & quosvis magistratus non minimum imminuisset. Quod si causa pauperum, orphanorum, viduarum, aut ad irremediam damnatorum æquitate nitebatur, & eâ ratione patrociniū Ecclesiæ desiderabat, eo casu sequendus erat canon IX. concilii Sardicensis, qui statuit Diaconum destinari, ad Fratres & Coepiscopos, qui illo tempore in his regionibus morabantur, & his negotium dandum esse, ut hosce pauperes, quantum possent, Ecclesiæ nomine juvarent. At commendatitias dare quibusvis pauperibus, concilium Calchedonense, Sardicense insequendo, æquum non putavit. Summa est: Systaticæ non denegantur personis honoratioribus: non denegantur etiam quibusdam villioribus, & miserabilibus, siquidem causæ necessitas & miserationis ratio exoptulēt. Ratio, cur regulariter non nisi dignioribus dandæ erant, fuit hæc, quam Albaspinæus subjungit: Qui cum his literis proficiscebantur, sumptibus Ecclesiæ alebantur & longè lautius excipiebantur cum commendatitiis literis, præ his, qui tantum pacificas, aut communicatorias ferebant. Statuit ergo canon, personarum discrimen adhibendum esse, pauperibus nimirum abundè esse, si pacificas accipiant, quibus instructi, rebus ad victum necessariis procurarentur. Dabantur ergo Pacificæ Laicis peregrinantibus, ut ad communionem admitterentur & hospitalitatis jure gauderent.

Commendatitiæ autem & clericis & laicis dabantur, ab Episcopis & Metropolitanis, quarum fide in negotiis adjuvabantur, & lautè excipiebantur, quippe digniores & alicujus existimationis. Fruebantur ergo, qui harum literarum comiteatū procurabantur, hospitio liberali, quod Gregorius Nazianzenus libro I. in Julianum testatur: Constituebat, inquit, Julianus Imperator etiam diversoria edificare, ac domos excipiendis hospitibus, simulq; humanitatem erga pauperes adjungere, cum aliam, tum eam, quæ in notis sive tesseriis epistolaribus consistit, quibus eos, qui inopiâ premuntur,

Ratio cur
systaticæ,
non nisi
dignioribus
datæ.

Litera di-
missoria.

συνθήματα
γραμμά-
των.
τετυπομέ-
ναι, Forma-
τα.

ex gente ad gentem transmittimus. Junge Sozomenum *lib. 5. c. 16.* Andream Schottum in *Procli chresto mathiam p. 55.* Et hæcenus de Pacificis & commendatitiis. Erant præter istas & dimissoria, quæ solis clericis dabantur, quibus non solum testatum facerent ferentes, se esse in societate fidelium, sed & bonâ cum gratiâ & veniâ discessisse facultatemque habere manendi in aliâ diœcesi & ministrandi, *can. 17. in Trullo & can. Apost. 15.* Et erant hæc tres epistolarum canonicarum species in universum communicatoriæ, quibus Episcopi in signum unitatis fidei & pacis inter se communicabant. Erant quandoq; etiam canonicæ hæc certis notis formata, tanquam symbolis & tessera, ne falsæ pro veris supponi possent. Hæc tessera & formæ Ἐπιστολιμαία συνθήματα & συνθήματα γραμμάτων appellabant, unde συνηματικῶς γράφειν apud Procopium. Et ob hunc typum seu formam existimo in synodo Carthaginensi *cap. 23. τετυπομένης* appellari, id est, formatas. Et ita exponunt atque accipiunt Formatas viri quique eruditissimi, quos inter familiam ducunt ὁ πάνυ Cujacius *ad tit. 4. l. 3. Decretal. c. 5.* Carolus Labbeus in observationibus ad synopsis Basilicorum *p. 496.* Herman. Hugo de scribendi origine *c. 13.* Baronius ad an. 325. *n. 163.* Savaro ad Sidonium Apollinarem *lib. 6. Epist. 8.* Ab his divortium facit Jacobus Sirmundus notis ad Goffridum Vindocinensem, qui Formatarum nomen à sigillo, quo signabantur, arcessit. Aliter Blondellus, qui formatas appellatas vult, quæ characterē fraternitatis christianæ & formam præscriptam per regulas caritatis præferant, *de primatu in Ecclesiâ.* Sed à communi expositione non discesserim, & utique peculiarem formam habuisse, quæcunque tandem fuerit, opinor. Qui igitur peregrinabantur clerici, ejusmodi tesseras epistolares secum ferentes quocunq; pergerent hospitio suscipiebantur, illisque erant pro viatico. Vide Lucianum in *Peregrino.* Hinc Tertullianus hospitalitatis contesserationem dixit mutuato ἀπ' ἕξωθεν vocabulo.

Origo For-
matarum.

Quid sentiendum jam de Formatis istis? Quæ earum origo? Sunt qui primam earum originem è canonibus, quos vocant, Apostolorum repetunt. Et quidem *can. 12.* ubi γραμμάτων, συστατικῶν fit mentio, ut & *can. 32.* Sed poterant συστατικῶν esse, nec esse tamen

tamen formata. Passiva est sententia, sanctione quadam Niceni concilii de certâ formâ à Patribus concilii conventum fuisse, Quam formam vulgarit Atticus CPolitanus Episcopus. Ita apud Gratianum legitur, ex restitutione criticorum Gregorianorum, cum ante legeretur, *Abbatibus*. Eidem Attico adscribitur hæc Formatarum structura in actis concilii Chalcedonensis. Repræsentat eâ Papias in vocabulario, ex quo repetit Labbæus, & ut præ se fert, emendat: Gratianus in *can. 1. & 2. dist. 73.* duo exemplaria profert. Et canonis 2. formulam ab Attico CPolitanorum Episcopo editam inscriptio innuit. Blondellus curiosè omnes Formatas scrutatus ait non nisi tredecim invenisse, quas exhibebo:

Prima à Sirmundo edita ex Codice antiquarum formularum, in quâ Ebroinus Bituricensis, ad Magnonem, Episcopum Senonensem pro Dodoberto Parochiano scribit. Vixit hic Magno imperante Carolo M.

*Blondellus
non nisi tre-
decim For-
matas repe-
rit.*

II. Altera itidem Sirmundo debetur, quam proponit ad Sidonium Apollinarem, anno 817. scripta à Wolfeone Episcopo Constantiensi, ad Bernaldum Argentariensem pro Annone clerico.

III. Tetgaudi Trevirensis ad Carolum calvum & ejus Episcopos, anno 867.

IV. Est Johannis Episcopi Cameracensis, quâ Ursionem Presbyterum clero Gallicano commendat anno 865.

V. Liuvadus, Episcopus Venciensium in Provinciâ, scribit ad Wenitum Archiepiscopum Rothomagensis pro Wlfado Diacono. Anno 868. Vencium est locus Episcopalis in Galliâ, apud Gregorium Turonensem lib. 9. Meminit & liber provinciarum, ubi additur: Id est, Ventio. In alpibus maritimis, sub Archiepiscopo Ebrodunensi.

VI. Hedilus Episcopus Novidunensis scribit ad Didonem Episcopum Laudunensem, pro Arnegiso anno 892.

VII. Ejusdem Hedili ad Radulfum Episcopum Laudunensem pro Rogerio Diacono. 902.

VIII. Raginbertus Episcopus Vercellensis scribit Andream Episcopo Mediolanensi pro Walfredo Episcopo Iporediensi, quam

Fer-

Ferrarius ex codice MSCto Ecclesiæ Vercellensis dedit , anno 904.

IX. Est apud Ivonem Carnotensem Ratbodi Trevirensis ad Rotbertum Metensem pro Gislemaro Presbytero. A. 906.

X. Dadonis Episcopi Virodunensis ad Ratbodum Trevirensis.

XI. Exhibetur à Gratiano Dist. 73. c. 1. anno 1012, scripta à Burchardo Wormaciensi ad Walterium Spirensis, pro Hermano Presbytero Wormaciensi.

XII. Est in c. 2. dist. 73.

XIII. Est Durandi Episcopi civitatis Arvernorum ad Radulfum Episcopum Turonensem.

Quidquid autem de Attico isto fuerit, utrum hoc breviarium concilii Niceni fecerit, quod acriter pernegat Blondellus; non tamen inde conficitur, non fuisse certam formam, secundum quam componi conveniret formatas. Imo quia tam pauca hodie existunt formatæ, magis inde firmatur, convenisse de arcanis formulis, inter aliquos Episcoporum, inter quos clavis legendi illas, ut vulgò loquimur, communicata fuit, ad eundem modum, quo hodie etiam de cryptographemate fit. Neque putandum, quam formulam Gratianus & alii ediderunt, solam, unicam & perpetuam fuisse, & quasi ex lege præscriptam, quidquid etiam Gratiani verba tinniant: Sed exemplar tantum unius atque alterius, prout & nominatur *can. 1. dist. 73.* ex his, quæ publicè innotuerint. Imò non ipsam Formatam, sed clavim potius ejus, quam Gratianus & alii edidit, forsan dixeris. Non, inquam, hæc una forma publicè lege præscripta fuit, quam ex necessitate Episcopi & in perpetuum, exprimere necesse haberent. Sed convenêrunt, ut arcana scripturæ in posterum, sed aliæ atque aliæ, prout inventio hæc vel illa placeret, usurparentur inter hos, quibuscum familiariter communicari solebat. Harum quasdam publicatas postmodum verisimile est, non amplius in usu mansisse: Sed de aliâ crypti cogitatum fuisse, clavibus, ut hodie invicem, arcana hæc referantibus communicatis. Sed satis hac de re.

ECLOGA